





3
4
5
6
7
8
9
10

17031.

18.

DE IURE IMMUNITATIS

& imprimis à

GRAVI METATORVM

ONERE ἀπόδοσις

EX VBERIORIBVS ADVERSARIIS, QVORVM
conciinnationem festinationis ratio non tulit,
obiter delibata

ET

SUB PRÆSIDIO

MAGNIFICI AMPLISSIMI, ET CONSULTISSIMI
VIRI

DN. IOHAN-OTTONIS

TABORIS, J. U. D. COD. ET FEUD.

P. P. IURIDICÆ FACULTATIS SENIORIS

& h. t. Universitatis hujus Rectoris, Præceptoris ac
fautoris sui, omni observantia & ho-
nore prosequendi

Publicè habita

AB

OVA BROCKTORE.

EQ. HOLSATO.

In auditorio Majori.

ad diem Mense Mart.

ARGENTINÆ,

Typis IOANNIS PHILIPPI MÜLBII,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

ANNO M DC XLIV.

1644/6.

17



1571

DE IURE IMMUNE

IN T. A. 1. 2.

GRAVIA V. Obligationes

DOMINO V. Obligationes

ET LIBER

ROTORIA V. Obligationes

OTTONIS

ET FREDERICI

SENIORIS

ROTORIA


OTTONIS

ET FREDERICI

SENIORIS

ANNO M DC XLIV





Nobilissimo Iuveni,

DOMINO OVAE Brocktorff/ EQUITI

Holsato, Amico honoratissimo,

S. P. D.

BROCKTORFFI, spes magna Patris, Matrisq; voluptas
Unica, cum TACITVM legeres, & scripta diserta
Illius excuteres, TACITVM tacuisse putabas
Indignum. Quare thesibus conamine pulchro
A Te conscriptis illum proferre volebas
Verba, simulq; suas per Te defendere Gnomas.
Versares QVINTI cum cultu volumina CVRTI,
Inde excerpebas fortissima facta Monarcha
Graiorum, & dotes animi dulcedine linguae
Mira publicitus nobis memorare studebas.
Jam cum tractasses non longo tempore JURIS
Dogmata, praclarum specimen iuvat edere, catus
Doctorum praesente Virum, Juvenumq; corona
Egregia applaudente Tuis conatibus OVA.
O Te prudentem, studio qui JURIS & AEQVI
HISTORIAM adjungis, naso nec spernis adunco
FLEXANIMAM Tulli, gravis aut Demosthenis ARTEM!
Scilicet ista TRIAS generoso sanguine natis
Congruit imprimis: quia convenientia Jura
Dicere: prateriti percurrere temporis Acta:
Hacq; Pericleo facunda munere linguae

):(2

Ex.

*Exprimere, immortale decus, famamq; perennem,
Turribus in Regum, magnorum Principum in aulis,
Deniq; in Imperij parit omnibus Urbibus: atque
Affectum magnum calidumq; meretur amorem.*

MELCHIOR SEBIZIVS Med. Doct. &
Prof. Com. Palat. Cæs. & Reip. Argentor.
Archiater.



Generoso & Nobilissimo D^{NO}

OVÆ à Brocktorff/ Equiti Holsato.

Militat historiæ ac Asthææ militat armis
Nominis Holsati & sanguinis OVA decus,
Vincit in historiâ, nec Juris vincitur armis.
Quid superest OVÆ? nempe vt OVEMUS, OVET.

Applauderat

*Joh. Conrad Dannhavver SS. Theol. D.
& Prof. Ecclesiast. h.t. Facult. Theol.
Decanus.*



IVRIS METATORII

PARS III.

Quæ est, de jure immunitatis.

CAPUT PRIMUM.

*Continet quandam præfationem de præfidiis
Reip. partite constituendis; tum præcogni-
ta appellationum iuris immunitatis
in genere.*

I.



Reipublicam duabus rebus contineri, vetus Solonis
dictum & gnoma est, præmiis nempe & penis: quæ
sententia & Ciceroni in Bruto laudatur & princi-
pibus etiam placet. in l. ult. C. de statutis & imagin. vt de
cæteris inferiorum sæculorum autoribus non di-
cãm, v. Bodinum lib. 5. de Republ. c. 4. pr. ibi: Omnes Respublicæ duobus his
fundamentis, premio inquam ac pœna stare ac omnino niti videntur:
Wesemb. parat. de publ. judic. n. 5. Besold. 2. polit. c. 2. §. 1. & seqq. & fasci-
culo 1. disput. 1. quæ est de præmiis & penis per tot. & in Synopsi doctrinæ
politice lib. 2. cap. 3. Quibus in partibus constituendis, vt cætera
taceamus, potissima tamen poterat omiſſa videri, munerum in-
quam in Republ. necessitas; Sic enim in tributis & similibus
muneribus, nervum Reipublicæ vel præcipuè consistere, cum
cæteris Politicis & Jctis plerisque omnibus; iterum docuit ipse
Besold. 2. Polit. c. 4. §. 1. Schonborn. 4. Polit. 19. per l. 1. §. 20 de quæstioni-
bus, vbi tributa dicuntur nervi Reipubl. ex Demosthene & Æ-
schine qui ea vocant, νεῦρα τῶν πραγμάτων. Cuiac. in lib. 19. Re-
spons. Papin. ad l. 5. pr. de Censibus. add. l. 22. vers. huic accedit. C. de admi-
nistr. tut. post Lather. de censibus & alias à se citatos Besold de arario cap. 1.
Eademq; ratione vectigalia græcis dicta sunt τέλη: quod essent
regnorum rerumque publicarum perfectiones & quasi animæ
quædam. Scalig. ad Arist. 1. de Plantis. pag. 102.

2. Enimvero si quis allegata Besoldi capita invicem con-

V

ferat,

*Quomodo
præmia &
pœna Reipub-
licæ nervi
dicantur:*

*Cum alii
tributa &
cætera mu-
nera hoc e-
logio ma-
ctent.*

*Conciliatio
diversitatis
ex dispositio-
ne lib. 2.
polit. Besoldi.*

ferat, deprehendet eum requisita hæc *lib. 2. politic.* ita componere: ut sibi proponat Rempublicam conservandam, tum à corruptione interna; tum ab impugnatione & vi externa. Corruptela *ex doctrina Besoldi*, avertenda est, dum à subditis, dum ab ipso statu & imperantibus. In subditis providendum & animo & corpori. Animo, tum placida suasionem, & deductionem ad studia pietatis, informationem item morum & actionum; tum jussione seu imperio, quorum ille præmia & pœnas refert. Cæterum corporis necessitatibus consuli, vel *in Univerſum* constitutione & conservatione ærarij; vel *singulatim*, subditorum sustentationi prospiciendo. *Conf. Mockel. in tabb. ibid. & synopsis Besoldi lib. 2. cap. 1. & seqq.*

3. In qua distributione, tametsi nonnulla forte sunt, quæ accuratæ oppositionis & Digestionis legibus usque quaque non conveniât: Hoc tamè facile inde colligitur, requisita hæc diverso respectu in Republica desiderari: Præmia enim & pœnas ad disciplinam magis & directionem civium ipsorum pertinere: Munera v. ad Reipublicæ tutelam, decus & robur v. omnino P. Gregorium, *part. 1. Syntagm. lib. 3. cap. 2. num. 2. & seqq. ubi hoc elegantissimè declarat.* Nam si quis ista, tanquam species quasdam, ad illa veluti genera retulerit, immunitates quidem ad præmiorum conditionem haut difficulter redegerit: sed in muneribus, ad pœnas, toto suo genere reducendis, plusculum laborabit. Priori autem distinctioni favet communis obligatio: Cum enim uti dictum varia illa munera, tributa, vectigalia, ad tutelam tum Reipublicæ tum singulorum in Republica viventium respiciant: Inde factum ut illa & ratione subjecti ab omnibus, & ratione Formæ seu modi, præcisè, rigide, & sine remissione exigenterentur. Quod ut cætera quæ alibi dicta sunt, taceamus vel illa Codicis Rubrica docere potest, quæ est in *lib. 10. tit. 25. De immunitate nemini concedenda*, de cuius tamen genuino sensu paulo post ex professo dicitur.

*Tum de
munerum
horum, quæ
exigendi
quæ exhibendi
necessitate.*

4. Varia hinc prodita remedia, quibus detrectatores munerum coguntur publica hæc onera subire: eaque tum juris tum facti: uti in *parte 1. cap. ult. num. 2. est indicatum.* Sicut enim tutores, ita & municipes ad munera cogi possunt captis pignoribus. *Wesenb. in parat. de Vacat. & excusat. muner. facit. l. 5. §. 2. ibi: quo minus pra-*

prædium jure pignoris distrahat, oblata moratoria cautio non admittitur. de censibus, dummodo per contumaciam fiscalibus debitis satisfacere differant. l. 1. & r. t. C. de capiendis & distrahendis pignoribus tributorum causa lib. 10. tit. 21. (quem titulum valde notabilem, Amaya in Commentario suo ad lib. 10. Cod. ineptissime omisit.) Habet e. Princeps omnia prædia hypothecata (sic loquuntur) pro collectis l. Imp. de Publicanis, & vniuersa bona possessoris, tributorum nomine tacite obligata sunt. l. 1. C. in quibus Caus. pign. vel hypoth. tac. Imo quod res ipsa, ob denegationem collectarum cadat in commissum, non modo juri Civili; sed etiam Constitutionibus & Recessibus Comitiorum convenire, tradit Referens apud Gylman. part. 2. symphore tit. 6. num. 26. Utiq; subditis ordinum pœna dupli constituta est, si contributiones Turcicas detrectent. R. I. Ratispon. A. 1594. S. Demnach. pag. 711. An & per manum militarem, durch Einquartierung oder Trillen / qui modus nimis quam hodie familiaris est, inquit D. D. Mosbach. Collar. 2. disput. Lips. ad l. 27. de reb. cred. Equidem manifeste hac in re separantur negotia privatorum à causis Reipubl. in l. 1. C. de officio militarium judicum. In illis regulariter reprobatur hoc remedium, d. l. 1. Incivile enim est prætoriam potestate vel manu ministrorum quem cogi, qui per jus ordinarium cogi possit, l. 1. §. 2. Si ventr. nom. mul. in possess. miss. ead. poss. l. vlt. §. vlt. Quod metus causa. l. vlt. Cod. de his qui latrones vel al. crimin. reos, nisi per contumaciam se quis finali decreto opponat. l. 3. pr. Ne vis fiat ei qui in poss. missus est l. qui restituere § 8. de R. V. sufficit. n. pignorum capio, nec vincula aut tormenta adhibenda sunt, inquit Cuiac. in Comment. ad l. 2. C. de capiendis & distrahendis pignoribus, nisi detrectatio cum contumacia & superiorum contemptu conjuncta sit; tum n. captura vel arrestatio aut etiam incarceration personæ inobedientis permilla est, l. consentaneum. §. vbi gloss. ad verb. cogendum v. C. quom. & quando iudex. Novell. 53. cap. si vero. quemadmodum & missio in bonorum possessionem. d. l. 8. sequestratio possessionis vel fructuum: & alia, de quibus congerendis etiam Wesenb. noster fuit sollicitus, in parat. si quis ius dicenti. n. vlt. Klocken de contribut. cap. 19. plane in metatorio munere ipsa immissio ita comparata est, ut ei resisti nequeat, nisi sub metu gravissimæ animadversionis, l. 1. C. de metat. & Epidem.

*Eique op-
posita im-
munitate.*

5. Quæ ut sese habeant: Graves tamē causæ sunt, quæ & hic exceptionem suadeant, ac nonnullis immunitatem impetrent. Ut e. non omnium in Republ. personarum, sic nec rerum eadem est conditio: & æquum est, ut meritis, ita & præmiis cives quoque distingui. Nec vero graviores civitatum motus, frequentiores Rerumpublicarum interitus contigerunt, quàm & cum impune sceleratis peccare licuit, & bonorum ac fortium viro- rum præmia nulla fuerunt, ait Bodinus lib. 5. de Republ. c. 4. p. 542. Inter honestissima autem præmia merito recensentur vacationes à muneribus publicis, & immunitates à vectigalibus atque tributis. *idem ibid.* Quæ æquitatis ratione destitui nullatenus putandum est, l. 1. de Vacat. & Excusat. mun. cum & ipsæ res ex usu & destinatione differentiam prærogativam & immunitatem sortiantur l. sancimus 22. ibi: *Cur enim non faciamus discrimen inter res divinas & humanas? & quare non competens prærogativa caelesti favori servetur. C. de SS. Eccles. & l. seq. d. t. ibi: Ut inter divinum publicumque ius & privata commoda, competens sit discretio.*

*Cuius ex-
plicantur
in genere
diversa in
iure appel-
lationes.*

6. De quibus immunitatum atque Exemptionum causis antequam dicamus, easdemque ad speciem nobis propositam, immunitatis scil. à metatis, applicemus, nonnulla de vocabulis ipsis, more nostro, præmittemus. Cum enim plures sint in ff. & C. tituli qui de hac re agunt, variis tamen appellationibus discernuntur. In digestis lib. 50. de Munerum tum vacatione tum Excusatione conjunctim vno, hoc est quinto, & mox de iure immunitatis, altero h. e. sexto tit. tractatur. Quos titulos aliqui ab objecto discernunt, quasi in quinto agatur de Excusatione munerum, in 6. de Evitatione honorum: *glossa ad tit. de iure immunitatis*; alij eosdem à causa Efficiente distinguendos putant, ut Wesenb. in parat. de iure immunitatis pr. ibi: *& illi quidem legibus excusantur. Alexand. Chassaneus in Indice lib. 50. tit. 6. ibi: superior fuit de vacatione & excusatione munerum, quæ iure communi nititur: hic v. magis de illa, quæ impetratur à principe & potius beneficio & gratia, quam ratione nititur: qui licet non injuria reprehendantur à C. A. de Vacat. & Excus. mun. th. 1. neque tamen ideo putandum est temere illos titulos distinctos & sejunctos fuisse: sed præstat cum Cuiac. in parat. de iure immunitatis dicere: In tit. 5, potissimum agi de causis immunitatis: l. 1. & seqq. de Vacat. & excus. mun. In tit.*

tit. 6 de Effectu, h. e. jure, conditione & lege immunitatis, quatenus ea duret, an in heredes extendatur & liberos leg. 1. §. 1. de iure immunit. l. 4. eod. & ita porro,

7. Sunt alij, qui vacationes ad munera, functiones & honores Reipublicæ referunt: immunitates autem oneribus, vt vectigalibus tributis opponunt: Bodin. dicto cap. 4. pag. 543. Forsan rectius diceretur immunitatem esse ius, vacationem juris fruitio- nem: Siquidem is qui immunis est, iure & secure vacat, & excusatus est: sed eiusmodi subtilem discretionem vix admittit consuetudo autorū, & latinæ linguæ proprietates, qua hæc vocabula indifferenter vsurpantur: quemadmodū & in legibus nostris immunitas sæpe vacationem à lege concessam l. 2. §. 6. & 8. de Vacat. & Excus. mun. ac vice versa vacatio immunitatem designat, l. 5. §. 7. l. vlt. collato principio cum fine legis. de iure immunit. C. A. d. tit. 8. 1. Quo synonymico & promiscuo vsu harū vocum supposito, proximum est vt à voce iuris, quæ hic Effectum indicat, & à potissima subiectarum legum parte distinctionem atque continuationem illorum titulorum mutuemur: vt in filo Ariadne tabula 7. sect. 3. etiam indicatum est.

7. Ac, quia immunitatis vocabulum directo muneribus opponitur, ipsamque libertatem vna cum obiecto illo à quo liberatum est, includit atque implicat: eo hic potissimum vtemur. Utenim munifices (iuxta ea quæ in parte 2. cap. 1. num. 2. prælibata sunt) olim dicti fuere, qui omnia munera facerent seu obirent: vel vt Cuiac. in recit. C. ad L. Iul. de ambitu, suo idiotismo rem effert, qui portent toute la charge l. 18. de V. S. l. 2. C. Theod. de cursu publ. Iulius Firmicus eos *συνεργῆς* interpretatur, quomodo Cuiac. in Papiniano, loco mox citando, etiam exponit phrasin Apostoli 1. ad Corinth. 3. vers. 9. *Θεὸς ἑσμεν συνεργοὶ*, Dei sumus munifices. vulgata, adiutores, *Mittarbeiter*: quod Theologiæ consecrandis exputandum relinquimus. Hi v. & munes alibi nuncupantur, v. eundem doctorem nostrum in recit. C. vectigal nov. Inst. non posse. (vbi sic legendum esse monet textum subobscurum in l. 8. §. 1. de publican. munem, pro communem, vt intelligamus rem vectigalibus obnoxiam. Quod etiam inculcat in Comment. ad respons. Papin. d. loco ibi: si plures fuerint heredes, & vnus ex eis rem munem, vel non immunem à vectigalis causa, rem obnoxiam vectigali, surripuerit, in eum solum trans-

Obiter examinata sententia l. 8. §. 1. de publican.

mitti poenam: quia nihil pervenerit ad ceteros, nullas esse portiones, quae
 sufferre ceteris heredibus possint: Ac ita quidem ex Archetypo quo-
 que Florent. legunt, munē inquam, non communē. Quomodo hunc
 locum etiam rectē hactenus (nam in ratione discrepat, ac forte
 errat; dicit enim ceterorum partes fisco non applicari, cum pro-
 ponatur tota res fisco obligata & commissa causa vectigalis l. 14.
 d. t.) interpretatus est Rævardus. 3. *variar.* 2. à quo licet olim
 dissenserit Cuiac. 9. *Observat.* 24. posterioribus tamen locis istis,
 mentem mutasse videtur, adde Hillig. 9. D. E. 21. lit. C. Quin & res
 ipsa munifica hinc dicta, sive ut in l. 4. § 1. in f. de public. habet, mu-
 nificia: quod est muneri publico & vectigali subiecta, Cuiac. ad
 d. l. 8. §. 1. vectigali obnoxia. idem in Paulo ad dict. l. 4. Ita ergo
 immunes ex adverso haut dubie dicti sunt, qui liberi ab eiusmodi
 muneribus & oneribus essent, immunibus enim rebus res
 munes sunt contrariæ. Ravard. d. cap. 2.

9. Alio autem sensu immunem per jocum Plautus in trinuo
 act. 2. sc. 2. vers. 73. dixit, civem egenum & proletarium, qui sc.
 immunitatem à D. Penia, non à L. vel principe haberet; quod
 ideo hic notamus, quia Franciscus de Amaya ineptè illum lo-
 cum huc traxerat in *Comment. ad l. 1. C. de immunit. nemin. conced. n.*
 1. Siquidem juxta vulgatum illud, wo nichts ist / verlieret der
 Kaysers sein Recht. *Cass. Klocken de contributionibus cap. 13. n. 61.* Fi-
 gurato quoque dicendi caractere salacissimus Salazar (vide ima-
 ginem spurcissimam & satyro quam presbytero digniorem, per not. Go-
 thofr. ad rubr. C. de majuma. defensionem præfixā ex Officina Kinckij sub Mo-
 nocerote; certe lupanari aut priapeis potius quam sacris cunis præfigen-
 dam: itemq; ea que de Iosephi & S. S. mutua zelotypia, per abominabi-
 lem calami licentiam cucullata luxuria eructavit, in proverb. Salomon.
 cap. 31. vers. xi. num. 55.) in tractatu illo quem inscripsit, defensio-
 nem pro immaculata Deiparæ virginis conceptione cap. 24. Bea-
 tissimæ Deiparæ immunitatem ab originali culpa & imo à debito
 etiam, cum cæteris sociis nititur irrogare. Quomodo egregius
 ille Angelus de Clavasio, in sua summa Angelica, immunitatem di-
 ctam arbitratur, quasi puritatem: Atque hinc appellari immu-
 nem à peccato cap. vlt. ext. de purgatione canon.

10. Si liceret porro progredi, dicendum etiam esset, quem-
 admodum ab immunibus differant beneficiarij. Cuiac. n. in reci-
 tat.

vacat. C. ad L. Iuliam de ambitu, post med. per beneficiarios intelligit, non immunes; sed eos qui pro beneficio obtinuerunt praefecturas, municipatus, praeturas, centurionatus. At Festus, *ut parte 2. cap. 1. th. 2. indicatum est*, docet: beneficiarios, dictos fuisse milites, qui vacabant muneris beneficio. Nisi putemus illos qui honoribus etiam aucti essent, tanto magis & rectius beneficiarios nuncupari. Dicendum insuper esset de caeteris synonymis, velut exemptionis, quid ea proprie ab immunitate differat. Ut sane tanquam causa ab effectu distingui posse videtur: Vox enim *exemptionis* potius ad factum referri solet. *l. 3. §. vlt. & l. 4. Ne quis eum qui in ius vocab.* Immunitatis, ut dicere occupavimus, ad juris effectum. *conf. in sim. Vvesenb. de pactis num. 2.* Tum praeterea de aliorum Etymologiis, ut cum *C. A. de vacat.* Immunitatem dictam arbitratur, q. a. munere munitioem, seu liberationem seu vacationem: Cum forte rectius à *σφατάκη* in & opposita voce muneris derivetur, *ut ostendimus. add. Laymannū lib. 4. de l. & l. tr. 9. c. 1. per l. 18. de V. S. & l. 1. de iure immunit.* Sed ne cum Ulpiano, qui ob nimiam in vocabulorum natura investiganda diligentiam dictus fuit *κετούκειτο*, teste Athenaeo in *Dipnosophista*; quod juxta objectionem Cynulci *lib. 3. cap. 17. apud Athenaeum*, nihil aliud nosset, quam ex alijs percontari, *κεῖται ὁ κείται: εἶρηται οὐκ εἶρηται: item ὄνομα ἰσθῆρας*, eodem Athenaeo autore *lib. 14. cap. 16. i. e. captator verborum*) vapulemus, satis erit modum adhibere, & de reali definitione cogitare.

II. Iohannes Arnold Corvinus, qui non inutili opera optimas *Definitio stem,*
Doctissimi Pacij definitiones collegit, in Posthumo Paciano lib. 7. th. 207. immunitatem sic definit: quod sit vacatio munerum à jure vel principe concessa: (quae eadem habetur in *Isagog. Pacij lib. 50. tit. 5.*) addit ibidem Corvinus: seu privilegium, quo quis à necessitate munera praestandi, onera subeundi eximitur. *C. A. in tit. de vacat. & excusat. mun. th. 2.* definit jus concessum municipi singulariter, contra communes municipij normas; Scotanus in *Examine prior. edit. p. 630.* Vacationem, quae extra ordinem à principe propter benemerita, vel ex beneficio singulari conceditur. *qua definitio, ut alia multa, in recentiori editione omissa est.* Quanquam autem definitiones istae posteriores angustiores definito esse videntur; tolerabiliores tamen sunt, illis Amayæ variationibus, qui

in d.

in d. Comment. n. 1. immunitatem definit exactionem, vacationem, revelationem à præstandis tributis & oneribus. Siquidem genera hæc varia & diversa sunt. Ac forte sic plenius: esse beneficium singulare (*v. l. 8. §. 2. de Vacat.*) quo singuli & vniversi aliqui *v. l. 5. §. pen. de iure immun.* à necessitate munera sustinendi eximuntur, sive vt *ICtus in l. 13 §. 1. de Vacat. concisus*: est vacatio muneris publici, jure tributa.

Et distributio generica.

12. Dividi potest. & Distingui (1) à causa Efficiente, quod sit vel à jure vel ab homine: Illo vel expresse vel tacito. Eoque iterum vel consuetudinis vel præscriptionis. *arg. l. quisquis. 27. C. de Episc. & Cler.* Ab homine sc. magistratu & propriè quidem à summo, improprie etiam à subordinato, *Exemplo. pr Inst. de divisione stipulationū. de qua divisione in efficiente & formali vberius dicitur.* (2) à subjecto in Universalem seu vniversitatis alicuius, collegij aut corporis, *l. 5. §. pen. de iure immunit.* & singularem singularum sc. tædiū aut personarum. (3) Ab objecto & Effectu distinguere videtur *Jctus in l. 13. §. 1. de Vacat. & Excusat mun.* cum ait: duo immunitatum esse genera: vnum plenius, cum & militiæ (*ita lege. C. A. d. 8. 2.*) vacatio datur: alterum exigius, cum (qui) nudam muneris vacationem acceperint: sive vt *Wesenb. in parat. de Vacat. n. 4.* reddit: in quo nuda muneris est vacatio. Cuius distinctionis sententia per se non esset obscura, nisi per diversas Doctorum traditiones dubia lux vel tenebræ potius ipsi fuissent affusæ. Etenim *gl. in d. §. 1. ad verbū datur*, vocabulo militiæ intelligit honores; alij togatam militiā. *Wesenbecius noster d. n. 4.* longius abit, cum dicit, prius genus vacationis esse generale, quod nec ab honoribus, nec ab ordinariis (subaudi muneribus) excusat, quale sit eorum qui nullam militiam h. e. officium castrensis aut togatæ militiæ retinent, aut specialiter excusantur, vt professores. Atque hæc distinctio in generalem & specialem (1) potius à Forma concessionis petita, certe diversa est ab ista. (2) Et imo plenius illud *Ulpiani* genus omnium munerum civilium & militarium vacationem adfert, vt taceam (3) militiæ vocabulum pro togata, (quomodo quidem *in l. 20. C. de oblationibus & alibi passim sumitur*) in *Digest.* vix occurrere vt *Bachov. in notis ad Wesenb. annotavit.* Nam *in l. 22. & l. 49. §. 1. de Legat. 2. l. 11. §. si servo 16. de Legat. l. 18. §. ab heredibus, 2 de alim. & cibis. legat. l. 3. §. si quid minori. 7. de*

Obiter: de interpretatione l. 13. §. 1. de Vacat. & Excusat. mun.

mino-

minoribus & alibi, de commodis annonarum & salariorum accipiuntur. Nec opus est ut Cuiac. interpretationem in Paulo ad. l. 18. hic substituamus, qui hunc §. 1. ita exponit: quod plena immunitas sit, quoties nominatim militie vacatio datur: Alioquin, si cui simpliciter detur immunitas, ei non datam intelligi militie vacationem. Licet enim sententia ipsa nihil absurdi contineat: tamen vim distinctionis directo non exprimit, in qua munera militie seu militaria civilibus opponuntur, ut ex l. 18. de V. S. ostensum est. Et hinc ergo distinctio immunitatis sumitur, quod alia sit plena, quae sc. vtriusque generis munerum vacationem praestat: alia minus plena, quae tantum civilium munerum tribuit vacationem. Nunc ab his generibus ad singulas immunitatum species esset decurrendum; & immunitas porro, in civile seu saeculare & Ecclesiasticam, cum Canonistis esset distinguenda: Videndum etiam, an haec porro ab illis recte subdividatur, in locale, reale & personale? v. Layman. d. lib. 4. tr. 9. cap. 1. Ioach. Stephan. Inst. iur. Canon. lib. 2. tit. 11. num. 3. Lancelot. lib. 2. Instit. iur. Canon. glossat. tit. 20. Sed quia nobis praecipue de immunitate a metatis dicere propositum est, omissis caeteris, de ista specie nonnulla generalia praecognitionis loco videamus.

CAPUT SECUNDUM.

Exhibet praecognita specialia, de immunitate a metatis: Cuius immunitatis explicantur appellationes, definitio & divisiones.

I.

Cum libertas & potestas vivendi ut velis, quatenus fas & aequum permittit, arg. l. 4. de stat. hom. natura hominibus insita sit, & pro bono inestimabili & maxime desiderabili habeatur, argum. l. 176. §. vlt. de R. I. l. 8. §. vlt. Rat. rem haber. v. Arrianus lib. 3. c. vlt. Et maxime domi quisque suae tutum, securum atque imperturbatum refugium quaerat: l. 18. de in ius vocand. l. 103. de R. I. Tum v. maxime corruptis huius aevi moribus, quo oneri metatorum,

Quantum bonum sit a metatis immunem esse.

inignes alia molestia, impensa & incommoditates, contra disciplinam veterum jurisque praescriptum conjunctae sunt, quilibet eo adspirat ut ab insolentia hospitem militarium, von disen argen vnd yngebetternen Gæsten / se liberare quoquo modo possit; liquidem ut maxime ordinata praesupponantur metata, & per pacta conventa excessibus militarium desideriorum obviam itum obstructumque sit, ita ut servitia tantum domestica, les services, & quae à discretionem habitantium vltro proficiscuntur, civibus injungantur: militaris tamen petacitas illas concessiones in immensum producit & extendit: Quemadmodum autor tractatus qui inscribitur *le manifeste des Catholiques Italiens*, apud Mercur. Gallic. tomo II. p. 171. id notabiliter manifestat, dum civium Mediolanensium sortem inter alia & hoc nomine deplorat, quod *il y a longues annees que Milan est remply des Soldats, qui sont loges dans les maisons des pauvres habitans à discretion. Qui dit discretion des Soldats, pergit ibidem, & mauvais traictement, dit sans doute vne mesme chose. Quiconque n'a jamais esprove d'avoir des Soldats logez chez soy à discretion, qu'il prie Dieu de bon coeur, de mourir plutost, que de l'avoir esprove. Qu'il se contente de croire, que sous telle discretion les hostes perdent le bien & l'honneur, & font beaucoup d'avoir seureté pour leur vie. Je laisse à part leurs nouvelles inventions pour tirer de l'argent; ie laisse les extorsions des officiers, qui comme sangsues ne laissent point de veines dans ce corps d'Etat, qui ne soit ouverte: ie laisse tout cela, par ce qu'au prix de loger les Soldats à discretion, ie n'estime rien tout le reste. Quasi diceret: iam multos praerierisse annos, ex quo Mediolanum milite repletum sit, qui in miserorum incolarum domicilia veluti per discretionem fuerit immissus. Sane qui dicit civilitatem, seu discretionem militum nihil aliud esse quam graves vexationes & oppressiones proculdubio, inquit ille, eandem rem diversis vocabulis enuntiat. Qui n. hospitationem militum illam arbitrariam, seu quam à discretionem vocant, nunquam expertus est, illi orandus est Deus, ut se matura morte peremptum à vivis eximat prius, quam illud malum experiri cogatur: Et hoc saltem sibi persuaderi patiat, hospites saepenumero sub tali discretionem perdere famam honorem ac bona, multumque lucrari incolae si se extra vitae pericula conservare queant. Omitto novellas illorum inventiones & pecuniae emungendae technas: extorsiones item officialium, qui instar sanguisugarum nullam totius Reipublicae ve-*

nam

nam relinquunt intactam. Lingo haec omnia, quoniam in comparatione metationis à discretion factæ, cetera omnia parvipendo. haec ille. Itaque de ista tam chara & pretiosa immunitatis specie, vel imprimis hac tempestate cogitandum est, qua gravamina metatoria in infinitam invalescunt licentiam, ut turpe videatur ignorare ea, in quibus sæpe versamur. Hieron. de Monte tr. fin. regund. cap. 14. num. 1. Nec egredietur tamen meditatio nostra legum & moderationis cancellos, in quibus se iterum primo loco, huius specie tituli & vocabula offerunt.

2. Et in latina quidem Codicis Iustiniani lib. 12. tit. 41. quin & Theodosiani rubrica, lib. 7. Tit. 8. jus hoc immunitatis non exprimitur. At ex Basilicis, titulus parallelus sic refertur: *περὶ μητάτων ἢ τοι ἀπλήκτων; καὶ τίνες ἐχ ὑπόκεινται αὐτοῖς*: Quæ epigraphæ in indice Basilicōn ita ex adverso redditur: De metatis sive** & qui non sunt eis obnoxij; ubi interpretatio vocabuli τῶν ἀπλήκτων vel ommissa est, vel intercidit. In Ecloga v. Basilicōn (non ea, quam Basilius Macedo cum filijs Constantino & Leone Philosopho circa annum Christi 870. confecisse fertur, v. Dn. Iacob. Gothofred. in Bibliotheca iuris Romani cap. 6. p. 53. & χειρὸν νομικὸν vulgo appellari audimus, Cuiac. 6. Observat. 9. v. omnino Freherum in Chronologia Anno 876. Sed in ipsa illa Synopsi 60. librorum Basilicōn, à Leone VI. Philosopho promulgatorum, Vultei in prolegom. p. 31. Freherus d. loco Anno 880. quorum aliqui Herveti Gentiani opera prodierunt; plurimi interiisse feruntur, Iohan Leonclav. præf. synopsis. quos recenset D. Iacob. Gothofredus, in Bibliothec. c. 6. ac omnes, sex voluminibus distinctos, vidisse se jactat dictus Freherus in Epist. dedic. Iuris Græco Rom. tom. 1. sed lectione simul indignos iudicat, in illa inquam Synopsi quam Romanus Lecapenus junior, Constantini Porphyrogennetæ nepos confecisse memoratur. v. Dionys. Gothofr. in not. ad Rubr. Novell. Leonis; qui tamen cum Filio & Frehero de authore dubitat, & quidem κατὰ σοιχείον, juxta seriem literarum: Leonclavius autem juxta ordinem ipsorum Basilicorum digessit, ut ipse in præfatione ait, & testatur Iacob. Gothofred. d. cap. 6. p. 58. (quod accipiendum puto juxta ordinem indicis: nam ut indicavi, integrum Basilicōn opus Leonclavius ne vidit quidē: add. Carolum Labbeum in præfat. emendat. & observat. in Synopsin prædictam.) In hac Ergo Ecloga

In quo titulo C. de hac immunitate agatur. Sibi de rubrica græca tit. C. de metatis.

tit. 12. libri 57. eadem Rubrica, iisdem penè verbis græcis proposita, sic exponitur: *de metatis seu hospitibus & qui nam eis præbendis obnoxij non sint. quod etiam indicatum est in parte 1. c. 2. th. 10.*

3. Quanquam autem versionem istam diligentissimus a-nagnostes & censor Labbæus, in observationibus ad eum li-brum, sine vngula transmiserit: Aliorum tamen interpretatio-nes rem dubiam alibi facere. Etenim Glossariorum autores, a-lij quidem hanc vocem penitus omittunt, vt ipse Labbæus in *veter. gloss. iuris verborum quæ in Basilicis reperiuntur*: Dion. Gotho-fr. in *Nomenclatore Græcarum iuris dictionum*, (vbi tamen in voce *μιτάτων* hunc titulum sic recēset, *περὶ μιτάτων ἢ τοῖ ἀπληκτων*) Alij retulere quidem; sed ex latina detortam tradidere: Rigaltius in *glossar. pag. 6.* dicta putat *ἀπληκτα*, quasi applicata, & subau-dit, non quidem tentoria, vt *Vulcanius sentit*; sed fossata. *v. l. 3. s. 4. de re milit.* Meursius tamen in huius vocis recensione, & illam significationem admittit, & latius, ex Onofandro, ipsa castra interpretatur; atque horsum ipsum Eclogæ titulum seu Rubri-cam supra recitatam adducit: cum & alibi *ἀπληκταίεοι* dicantur famuli ad collocationem tentoriorum constituti. Unde quis colligat *τὰ ἀπληκτα*, fuisse genus militare hospitiorum, quo scil. in agris & expeditione vterentur. Utrique talia subaudienda sunt, quæ necessitate muneris ab alijs sustineantur: vt oppo-sita pars tituli locum inueniat & commodam applicationem. ¶ Immunes a. ab his, vno quoq; vocabulo Græcis dicuntur *ἀσθ-μεστοι* qui sc. jure vel beneficio principali à necessitate hospitis recipiendi immunitatem consequuti sunt, vt not. *Budæus ad tit. de muner. & honor. pag. 262. facie 2. post med. à nomine σαθμὸς quando pro-stitutione seu stabulo & mansione sumitur.* Quam explicationem ideo latius hic exequi voluimus, quod de immunitate agricoliarum in hac parte ex professo fuerit dicendum.

4. Sane cum in Textibus Codicis vtriusque, & imprimis Theodosiani, plurimæ constitutiones de immunitate & liber-tate à metatis & hospitibus agant, non culpandi sunt Græci, quod hanc quoque partem inscriptioni addiderunt, ne sc. in eandem cum Iustiniano reprehensionem inciderent, qui sæpe angustio-res, aliquando etiam prolixiores & inanes plane rubricas suis titulis & digestionibus præfixisse notatur. *vid. Cuiac. in parat. Dig.*

Dig. de feriis, item de fide instrument. & alibi. Et de hac quidem parte rubricæ nobis hoc loco erit agendum, de immunitate inquam à metatis, quam sic describere possumus: quod sit immunitas, qua provinciæ, Urbes aut habitationes singulorum, à necessitate hospitis recipiendi jure liberantur.

5. De qua immunitate ut accuratius dicere possimus, eam in certas species distinguere convenit. Etenim ut immunitas in univèrsam & in genere considerata à subjecto dividi potest in univèrsalem & singularè, quod superiore capite n. 12. dictum fuit: Sic etiam immunitas ista metatoria subdividitur potest à subjecto in univèrsalem & particularem, ita ut univèrsalem intelligamus de tota provinciâ, diœcesi, districtu aut vrbe; particularem de singulis domibus seu domicilijs & habitationibus. Neque tamen sub univèrsali includimus illas provincias, regna, Principatus aut ditiones, quæ absolutis gaudent Imperijs, vel nostrum Romanum nullatenus agnoscunt: Eæ n. provinciæ non tam hoc dicendi modo atq; sensu immunes sunt, quam alio: potiusque toto genere conditionis & status suæ liberi nominandæ veniunt: Siquidem immunitas, ut supra cum Revardo diximus, semper aliquam præexistentem muneris subeundi necessitatem aut obligationem supponit.

6. Itaque nec opus nec animus est nobis, exemplo cæterorum, arrepta qualicunq; occasione in latissimum exemptionum univèrsalium campum hic digredi, & de Galliæ, Italiæ, Hispaniæ, Angliæ cæterorumq; Regnorum, Ducatum aut Rerum publicarum exemptione verba facere, cum & pueri hic plus æquo, nostro sæculo sapiant. v. præter vulgatos apud Dan. Otton. cap. 23. iur. publ. Georg Lorichium in duobus consilijs de vindicatione Germanorum in Extreros S. R. Imperij non recognoscetes, Basileæ Anno 1581. editos. Non quod eas disputationes plane reiiciamus, (cum Bachov. in Comment. ad l. 1. de Constit. Pp. n. 6. pag. 148. qui taxatis aliorum dissertationibus, juri belli hic omnia, pessimo argumento tribuit, statuitque; quo jure Romani à tenuissimis initijs progressi, orbem penè totum occuparint; Eodem, gentium scil. & belli jure, gentes & populos partim se subdaxisse rursus, partim in ditionem & Imperium aliorum regum & principum venisse. conf. H. Grotius lib. 2. de I. B. & P. c. 22. §. 13. ibi: multa enim ut bello quasita, ita

Definitio
immunitatis à metatis.

Subdivisio
huiusce generis immunitatis.

Et distinctio ab exemptione ab Imperio: que tractatio hinc planè remouetur.

bello amissa sunt. Hic n. initia turbida; à firmatis consensu vltroneo
progressibus & submissionibus diligentius discernenda erant:
arg. pr. procem Instit. ibi: innumera provincia, post tanta temporum spatia
nostris victoriis à caelesti numine praestitis, iterum ditioni Romana nostrorū
addita imperio, protestantur, Βωσσι, vt Theophilus vertit, quasi
gaudentes imperio: vt supra τὰ βαρβαρικά ἐδυν κηρύττει, Barbararū
etiam gentes sub jugum nostrum redactæ agnoscunt & prædi-
cant, vt Gothofred. ibid. interpretatur, Romani Imperij vires &
quam noscere jam cæperant Majestatem. Ubi n. provinciarū
bello justo victæ, deinde in vnū iusti Imperij corpus jam coalue-
runt; absurdum foret dicere, in arbitrio populorum esse, quan-
do & quoties occasio aliqua detur, à sceptrorum reverentia &
obsequio discedere; ac vel armorum vi, vel confœderationis pe-
regrinarū munimento, sese emancipare: cum in manifestum re-
bellionis crimen incidat ejusmodi defectio, qua spretis datæ fi-
dei sacramentis, legitima sceptrata vel pro legitimis semel bona
fide agnita, sine justa causa repudiantur. post Bartol. & ceteros
ad Extrav. qui sint rebelles, in Compilat. XI. scriptores, Farinac. q. 113.
in sp. 5. num. 80. & seqq. Cautius alibi ipse H. Grotius, & ipse alias
juri bellico nimium quantum tribuens, lib. 2. de iur. bel. cap. 9 §. 11.
circa fin. Eo titulo, (h. e. approbationis & consensus) sub se ha-
bet Imperium Romano Germanicum, quæcunq; populi Ro-
mani fuerant, neque pactationibus aut derelicti occupatione aut
victoriæ jure (sed & hoc absolutè acceptum, nimium est,) in alio-
rum populorum imperium concesserunt.) Non hæc inquam
nos causa ab ipsa disputatione arceat: sed quia tritam alijs viam
currere piget, adde noviss. Carpz. de L. Regia Roman. cap. 7. sect. 8. &
quia ad immunitatem, proprie dictam meditatio nostra potis-
simum collimat: neque tam exemptionem ab imperio, quam à
munc. Imperiali, sub Aquilæ alis positorum, immunitatem hic spe-
ctamus.

7. Itaque nec de cæteris provincijs quæ Romanorum Im-
 perium etiamnum quadantenus agnoscunt, prolixo sermone v-
 temur: satis sit hoc scire, *Burgundiam* se hodie tueri mit dem
Burgundischen Vertrag de Anno 1548. quæ transactio non qui-
 dem in sylloge Goldasti, sed in compilatione privilegiorum ali-
 quot seorsim edita, & apud Carpzovium *d. tr. cap. 7. f. 10. n. 17.* ex-
 tat

tat, vbi post multam disputationem Carolus V. concedit quidem, das die nidern Erblande alle zusammen vnter einen Creiß gezogen vnd eine benandre Summen Geldes / als nemlich so viel zweyer Euhfürsten Anschläge ertragen möchten / contribuiren: Daben sie gelassen vnd dargegen in des H. Reichs Schus / Schirm / Vertheidigung vnd Hülffe begriffen sein solten: Doch das dieselbigen sonst bey allen andern Freyheiten / Rechten / Gerechtigkeiten / Exemption der Appellation vnd Jurisdiction gelassen würden. Quæ forma, fœderis potius quam subjectionis vestigia repræsentat. *contra quam refert & disputat Dan. Otto de iure Publ cap. 23. q. 487. Utique si Imperator & Imperium in illis partibus bella gerat, vel tuendarum provinciarum gratia arma suscipiat, onus metatorum nec ab ipsis declinari posse, apparet ex not. part. 2. cap. 4. n. 5. add. l. 2. ibi tempore nostræ expeditionis. C. de quibus muneribus vel præstationibus nemini se liceat excusare.*

8. Eodem modo de jure Ducatus Lotharingici constare potest ex formula transactionis Anno 1542. cum Duce Lotharingiæ initæ, *quam Carpzov. d. cap. 7. s. 9. n. 33. & plenius Limnaus lib. 5. cap. xi. num. 3. recitat: Unde cum pateat Ducem Lotharingiæ tutelâ Imperij sub qualitate & titulo Status implorare, s. demnach so gereden vnd versprechen wir zc. ibi. Wie andere des H. Reichs Fürstenthumb vnd Ständen / schützen / schirmen vnd vertheidigen / facile æstimare liceret quatenus oneribus ejusmodi sustinendis obligaretur. arg. l. 1. ibi: nam in his dant axat titulis, nullum sub quopiam cessare privilegij velamento censemus. C. de quib. muner. vel præstat. lib. 10. maxime cum respectu contributionum etiam Cameræ Jurisdictioni subjectus esse perhibeatur: ibi: zu anzeug der Anschlag vnd Auflagen: præter allegatos Limnao ibidem, videntus Mindanus lib. 3. de processibus cap. 3. n. 8. Dan. Otto d. lo. qui tamen errat, quod Lotharingum tertiam tantum partem collectæ Imperialis conferre arbitratur; cum ad duas tertias, vigore præd. transact. adstringatur. V. G. wie oft ein Euhfürst 300. fl. zur Anlage geben wurde / soll bemelter Herkog vnd seine Erben allweg 200. fl. erlegen: Quod cum Dn. Limnaus in notis ad Ottonem non monuerit, hac occasione obiter voluimus subindicare.*

9. Possemus eadem occasione dicere de Duce Sabaudie quem Jcti domestici superiorem non recognoscere, fere in omnibus

suos

suorum monumentorū dedicationib. & scr. jactant, *Tessaur. Solae, Thesaur. A. Faber alij*; quos non quidem ex eo redargueremus, quod se subjectissimum S. C. M. principem profiteatur; Cum ex ejusmodi submissionum vocabulis, nulla ad subjectionem valida sumatur illatio, *Vulter. i. feud. c. 8. n. 25 verbo nec obstat. Bruning. de homag. θ. 396.* Sed ex subscriptionibus recessuum Imperij & proprijs confessionibus alijs, quas post *Reinking. lib. 1 d. 2. c. 9. n. 100.* & alios, novissimè congeffit *Carpzov. de L. Regia cap. 7. f. 7.* vbi etiam de cæteris Italiae Principibus agit. Possemus etiam ac multo facilius ad singulorum Imperij Statuū Exemptionem discursum reflectere, *per ea quæ part. 2. cap. 7. θ. 5. & seq. designata sunt*; sed quia publica non sine periculo tractantur, ideo his plane omiſſis ad privata, agendum, convertamur.

CAPUT TERTIUM.

De causis juris immunitatis à metatis: vbi nonnullorum dubitationibus occurritur, qui immunitatem, & imprimis metatoriam, in Republica non ferendam esse, contendunt.

I.

Quo ordine de isthoc genere immunitatis dicendum sit:

POSTquam ex præmissa declaratione palam fit, circa quod genus immunitatis præsens disquisitio occupetur, jam de causis & Effectu juris huius, iteq; de his quæ eidem adversentur, cogitandum est. Licet. n. aliquem pigere possit methodi huius vt protritæ nimis & abjectæ: nobis tamen veterum benè fundata simplicitas, cum perspicua facilitate conjuncta, præferenda videtur novatorum argutiis, qui vt magis sapere videantur, explicanda involvunt, & retegenda recondunt; immemores moniti sapientū, quo studiosi ad perspicuitatis studiū ceu lege obligantur & cum sedulitate atq; cura cavere jubentur, ne quid ἀμεδοδεύτως transigatur, cum *Ioseph. Scalig. lib. 1. de Emendat. tempor. p. 3.*

2. Fontes autem immunitatū, cum aliarum, tum istius quoq; speciei, si rimemur & inquiremus, Doctores diversas monstrare deprehendemus scaturigines; Aliosq; plures agnoscere; alios pau-

pauciores designare. Etenim nonnulli quatuor causas immunitatis prodidere veluti (1) privilegium (2) pactum (3) consuetudinem, (4) præscriptionem, post alios plures à se citatos Casparus Klocken de Contributionibus & Collectis cap. 16. n. 2. Alij duas tantum, ut Wesemb. in parat. de iur. immunit. Legē sc. & principem, quorsum etiā definitio Pacii supra c. 1. th. 13. collimat. Quod. C. A. d. 10. §. 3. sic declarare videtur, ut immunitas regulariter concedatur à L. Et ex iustis demū causis à principe. Alij à solo Cæsare immunitates pendere volunt per l. vnic. C. de his qui à principe vacat. accep. l. 1. §. 11. ff. de censib. post Lancellot. in templ. omn. iudic. lib. 1. cap. 1. §. 4. Schönborn. lib. 5. polit. 16. Sunt deniq; qui immunitatem, & nominatim à metatis nullo iure cuiquā concedi aut impetrari posse contēdunt: quorum rationes ante omnia expendendæ sunt, cum frustra de causis & modis impetrandæ aut acquirendæ immunitatis disquiratur, si toto genere eam iniquam esse validè possit demonstrari.

3. Proferuntur aut argumenta, Negant. ex iure tum superiore divino atq; naturali, tum inferiore & positivo. Ex sacris allegantur dicta & exempla. Collocatur. n. velut in frontispicio dictum Apostoli. 2. Corinth. 8. vers. 13. *ibi: non ut alius sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate, in presenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat.* Quibus verbis, aiunt, Christianis diserte iungi æqualitatem, ut in collationibus quoq; & muneribus subeundis fiat quod æquum est, ne alij quiete gaudeant, alij molestis afficiantur. Quanquam. n. Paulus (*inquiunt cum D. Doct. Hunnio comment. in locum Apostoli*) pronunciatū hoc in hypothese accomodet ad modum erogandæ Eleemosinæ: per se tamen generalem hanc rationem continet; sic benefaciendum esse alijs, ut nobis interim nostrisq; non afferamus luculentum aliquod damnum: (*hactenus Hunnius art. 8 p. 339. nam quæ adduntur verba, his connexa non reperio eodem loco*) non tantum in beneficijs, sed simul in oneribus: nec in Eleemosinis modò; Sed in tributis quoq; *istius* hæc Apostolica debet valere. Trahunt horsum illud etiam, quod Apostolus, ad Philip. 2. vers. 4. edicit: *μη τὰ ἑαυτῶν ἕκαστος σκεπτεῖτε, ἀλλὰ καὶ τὰ ἑτέρων ἕκαστος*. Quibus verbis Apostolum vetare perhibent: Ne quis suum suorumq; emolumentum & cōmoditatem privatim quærat, cū præiudicio & aggravatione onerum

*Et initio
an iure im-
munitas
talis defen-
datur: quod
aliqui ne-
gant.*

Y

pro-



proximi: cum *iuxta dictum Augustini*, nemo dicere possit, diligere se proximum tanquam seipsum, si non ad id commodum ad quod ipse tendit, eundem quoque adducat atque promoveat: Cum charitas non quaerat quae sua sunt. *1. Cor. 13. n. 5.* Eodem respicere dicta scripturae, quibus oppressio proximi graviter reprehenditur: qualia sunt, *Esaie 32. v. 7. Syracid. 34 v. 25. & 26. lib. 1. Reg. 17.* quibus locis acerbè perstringantur ditiores atque potentiores, qui pauperes & tenuiores exugunt, adeo ut parum interesse putetur, gladio quis an rei familiaris everfione perimatur. *Deut. 24. v. 6.* Eodem denique pertinere exempla docent, *Levit. 27. v. 8.* ubi alleganti paupertatem non tantum audientia benevolè præbeatur, sed & moderatio concedatur, *1. Regum 23 n. 35.* ubi dicatur, *quemlibet censendum esse iuxta vires patrimonij & facultatem: secus facientes incidere in execrationem Davidicam 2. Samuel. 12. vers. 1. & seqq.* Denique id docere in sacris analogiam similiù casuum, veluti *Deut. 15. v. 7.* Cum. n. ibi inter scelera immania & plane diabolica referatur, proximo egenti mutuù denegare: multo sceleratius fore concludunt, per inæqualem metatorum impositionem atque distributionem, pauperes quidem prægravare, divites verò è diverso exonerare.

4. Et hæc quidem machinæ ex armamentario S. Scripturae adversum jus immunitatis producuntur: sed à jure quoque naturali arietes ac catapultæ petuntur: Cuius huius juris summa ratio in æqualitate consistat, inquit, quæ non solum à philosophis & Juris atque Imperatoribus passim cõmendatur, (veluti *l. vnic. C. de Thesaur. l. quod si Ephesi. 4. in fin.* ibi in summa æquitatem quoque ante oculos habere debet iudex, qui huic actioni addictus est, *de eo quod certo loco*) sed ab ipso quoque D. N. I. C. sollicitè inculcatur. *Matth. 7. v. 12.* imò ab omnibus sanioribus gentibus semper laudata atque recepta est. *Rom. 2. v. 14.* Nihil tam alienum videri à naturali æquitate, quam ut civis unus & quidem pauperior metata sustinere cogatur; alter locupletior atque potentior immunitate gaudere conspiciatur. *Æqualitatem. n. ut est apud Euripid. in Phœniss.* amicos amicis vrbes vrbibus, summos denique cum infimis, sine cuiusquam querela, pari jure coniungere & sociare: *Wesemb. in parat. Quod quisq; jur. n. 2.* Hanc v. æqualitatis & iniquitatis discernendæ certissimam esse regulam & normam, si alterius causam
ex per-

ex persona propria metiaris, num idem jus in te velles exerceri, quod in alium decernis & decerni procuras: *facit. l. i. quod quisque iur. in alter.* Imo omnium legum finem & summā esse; vt sic faciamus alijs, quemadmodū nobis fieri velimus. *v. Val Max. lib. 6 tit. de iustitia. Rebuff. ad tit. lib. 1 ff. p. 245. vers. & necesse est.* Neminem v. æquò laturum esse animo, si vicini eximātur, ipse vero solus aut præ cæteris affligatur. Ideo in cōverso quoq; casu & in persona propria immunitatē hanc & prærogativam iniquam debere videri. De Alexandro Severo memoria proditum, si quem ex manipularibus in hortis aut agris alienis fruges suppilantē deprehendisset, verberibus eum affectum interrogasse: velletne hoc in agro suo fieri: *v. Lamprid. in vita Severi. Gilbert. Cognat. adag. 369.* Idē occurrere debere magistratibus hospitia militaria designantibus, si eximant se & amicos, cives vero alios prægravent.

5. His surrogantur argumenta politica (1) à paritate Civilis obligationis desumta, qua cives oēs æquali vinculo Reipublicæ obstringantur; ex ea factū quidam ajunt vt olim & officia esēt & magistratū munera ambulatoria; *ex Arist. polit. 4* quam æqualitatem sic interverti satis sit iniuriosum, *v. Arnis. 2. polit. cap. 1.* vnde non nemo politicorum de privilegijs nominatim scribit: Privilegia beneficētia principū indulta, esse lapides scandali & nociva zizanix inter principes & subditos seminaria. *Boccalini centur. 1. Ragg. 6. & 11.* (2) à communione periculi: Etenim illud quod omnibus cōmuniter impendet periculū, communi auxilio atq; annisu esse profligandum aut moliendū: Quemadmodū n. subortis in vrbe incendijs nec honestum esset, inquit, nec tutum, eos tantum, quos proximos flamma contingeret, in auxilium armari, cæteros verò ociosè alienam calamitatē spectare: Ita minime consultum aut ferendum esse, vt milite hospitia & imprimis tam lauta, vt hodie fieri solet, quærente, præcipui quiq; humeros cōmuni periculo atq; oneri subducāt, & vtrumq; in tenuiores cives reijciant; Hinc n. evenire, vt exhaustis & attritis eorum, qui per se debiles sunt viribus, pericula incendiorū & devastationū ea concitentur, quæ deniq; singulos cives corripiant. (3) à cōditione ipsa pauperū & tenuiorum civium, qui cum apud magistratum & potentiores, tutelam & perfugium quærant, non sint ab ijs deserendi atque proterendi, ne inde proficiscatur iniuria,

vnde jura atq; subsidia expectebantur. *Besold. orat. de divit. & pau-*
per. p. 606. nec vno limine exuendi qui vix eo instructi sunt. l. illi-
citas. §. & ne tenuis de offic. presid. quemadmodū & Scholastici scri-
 bunt justitiæ distributiæ oppositū esse vitiū acceptionis perso-
 narum etiā in oneribus distribuendis: hæc n. justa proportione
 distribui debere, ne pauperes magis graventur quàm divites. *Au-*
tor compendij Lessiani quæst. 63. Thomæ pag. 196.

6. Atq; hac occasione è promptuario juris varia quoq; funda-
 menta afferuntur, quæ omnia ad destruendum jus immunitatis
 adhibentur: Initio tradunt jura exigere vt munera & onera pu-
 blica civib. pro quãtitate bonorū imponantur, *allegant eò è lib. 7.*
C. t. 71. l. 5. rectius forsan allegaturi eos textus, qui parem inter oēs
& æqualem illationis formã tenendam esse, requirunt, l. in frau-
dem 7. C. de ann. & trib. l. 16 t. 17. quam oēs subeant l. 2. C. de mun. pa-
trim cū indictiones non tam personis quam rebus injungantur;
 vnde ne qua vltra modū earundem possessionū possessor conve-
 niatur, præses provinciæ prospicere jubetur. *l. 2. C. de annonis.* Al-
 legant (2) illud, quod *in l. 2. C. de metatis*, omniū tam metatorum
 quam hospitem iniquitas profligatur: quod itē (3) sola hospitali-
 tas & quidē sub hac observatione hospitib. conceditur, vt nihil
 à provinciali, quod vel hominū vel animalium pascuis necessariū
 creditur, postuletur, omniūq; sit acceleratum iter atq; continuū,
 nec vlli liceat residere, ne diurnitas cōmanentium vlla ex parte
 prædium vexet. *l. 5. C. d. t. Imprimis v. (4) vrgent l. 9. C. d. t. vbi Impp.*
declarant, (ordine & verbis eorū vtimur) minime se passuros, dñs
ein jederman/wz reich vnd fett ist/ gewalt hat vnd oben schwebet / sich
deß Einquartirens soll entbrechen vnd nur sehen vnd practiciren helf-
fen/wie es andern auff den Hals geschoben werde. Eodē (5) sensu in
Nov. 130. c. 3. & 7. cōstitui, weñ bey den zügen vnd einquartirungen je-
mandes mehr hergeben/einbüßen vñ zusehen müssen/ als ihm sein an-
theil der Güter zukomet/ so soll es von den andern ersetzt vñ vbertragen
 werden. Unde colligunt initio quoq; providendum esse, ne quis
 vltra quam facultates suæ ferūt, gravetur. *per l. vlt. C. de ann. & au-*
toritatē Rol. à Valle 1. Consil. 66. n. 11. & seqq. Allegant (6) quod cōque-
rendi facultas data sit gravatis l. 5. C. de censib. tū quod (7) Hospita-
 tiones & inde orta onera instituantur ad jussum Impp. seu Ducis
 belli: juberi a. onera ferre nō singulares quosdã & tenuiores ci-
 ves;

ves; sed totam vniuersitatem: Atq; ita onus hoc ad oēs pertinere, non ad vnum tantū vel alterum debere. Deniq; præcipuis in municipio quoq; viris, occini non inepte posse, quis ex eorum sentētia dixerit, quod in *l. 6. C. de muner. patrimoniorū lib. 10. tit. 41.* nescio cui Philosopho Impp. rescribunt: professio & desiderium tuum inter se discrepant; nam cum philosophū (hic, iustitiæ præsidem) te esse proponas; vinceris avaritia & rapacitate, & onera quæ patrimonio tuo injunguntur, solus recusare conaris: quod frustra te facere, cæterorum exemplo poteris edoceri.

7. Quemadmodū vero vltro fatemur, contra onerā metationi hac tēpestate perperam adjuncta, hæc non minus efficaciter quā pie differi, maxime si magistratuū oppidanorū, qui distributioni hospitiorum præfecti sunt, injuria, quæ allegatur, nec raro utiq; deprehenditur, intercedat: quorsum ea imprimis spectant, quæ Dn. D. Hūnius *ad epist. Pauli ad Phil. 2. art. 6.* cōmentatur: Eos sc. qui velex aliorū incōmodis suū nituntur parare cōmodum, aut certe suis privatis cōmodis ita student, vt proximū plane negligāt, factō ipso nomen suū ex albo Christianorū verorum expunxisse: & quæ piè atq; doctè Dn. D. Mengerling ab vmbone Ecclesiastico differuit sub tit. scelerati metatoris: *darinen den stättischen Marschalcken des logis, de Quartiermeistern/Commissarien/vñ Valermaschern in Stätten zugemüht geführet wird/wie hoch sie sich an redlichen Bürgersteuren/sonderlich an den armen/an Witwen vnd Weisen/mit ihren vngleichem einquartiren versündigen: Ita vt vniuersā potestatem eximendi viris principibus adimamus, ac benè merentib. in Ecclesia atq; Republ. hac in parte nullam prærogatiuam concedamus; sed æqualiter omnes cives metatis onerari patiamur, nec jura admittunt, nec superiores rationes efficiunt.*

8. Nam vt initio aliquid in vniuersū reponamus: si rationes oppositæ sine mica salis & indistinctè accipiendæ venirēt; Iā omnis proportio Geometrica à iustitia distributiva esset segreganda & excludēda *contra ea quæ docent politici cōmun. apud Besold. l. 2. Polit. c. 2. th. 9.* jam omnia privilegia vna litura essent delēda, oēs personæ, loca, causæ, pari æstimo essent cēsēndæ, *cōtra l. 16. §. 1. de pæn. can. 1. dist. 29.* Atqui iustitiæ distributiue, Theologorum quoq; suffragio, hæc est ratio, vt æqualitatē quidem in distributione munerū quoq; seruet; sed eā non Arithmetica verum Geometricā & ad

Quorū sententia partim declaratur:

Partim refellitur.



conditionē atq; qualitatem personarū accōmodatam, vti ex Melanthonē differit Wesenb in parat. de iust. & iur. n. 12. adducta in eam rem l. vlt. C. de stat. & imag. post Molinam 1. de l. & l. disp. 12. Horne. l. 3. philos. moral. c. 13. Layman. l. 3. de iust. tr. 1. c. 4. n. 2. Ex qua hypothesi generaliter pronūciat Wesenb. d. lo. n. 11. quotiescūq; de aliquo iure publico personis attribuendo agitur, toties ad hanc Analogiā Geometricam recurrēdū esse, propterea quod personarū dignitas status & conditio inæqualia sint, vt ijs adeo nec æqualia numero tribui possint. Sic eadē iustitiæ ratio, non indifferenter, iuxta numerum personarū functiones & officia distribuit; sed quid cuiq; conveniat, perpēdit, & cōvenientia singulis, suo loco dispertitur, vt ex Cicerone & Aristotele tradit Phil Melāthon in enarr l. 5. Eth. c. 1. & 2. Quorsum ipse Apost. 2. Cor. 8. v. 13. & 14. respicit: ἵσότης n. illa minime in eo posita est, vt tantundē haberēt singuli. Beza ib. n. 15. Nec aliud docet Dn. D. Hunnius; Nā quod Apostolus gentiū ad Philippenses 2. v. 4. itemq; 1. Cor. 10. & 13 nos ad cōmunem exhortatur sollicitudinē vt proximi quoq; cōmodis faveamus; Id. D. Hūnius ipse per limitationē declarat, ex Epistola 2. ad Cor. c. 8. vbi articulo 8. scribit: Sic benefaciendum esse alijs, vt nobis interim nostrisq; luculentū aliquod damnū non afferamus: Illiq; fundamento immunitas Ecclesiastica, tam personalis, quam realis & localis innititur. Gen. 47. 1. Esdr. 7. P. Greg. part. 1. Syntagm. l. 3. c. 8. n. 1. & seqq. c. 4. & 7. & passim ext. de immunitat. Ecclesiastica. Sed de his alijs viderint: nos politicas rationem expendamus.

9. Enimvero cū personæ egregiæ, noctu atq; interdū pro bono publico elaborent, tenui aliquādo autorati salario, dū populares interim aut sua privata quærunt cōpendia aut cuticulā curant, aut in vtramq; aurem stertunt: Sūma certe æquitatis ratio postulat, vt illorum onus officij ex aduerso in oneribus munerū subleuetur, & benè alibi meriti, hic curarū suarum veluti retributionem quandā aut hostimentū ferant, textus est elegans & planè in terminis nostris, in l. 5. §. 3. de iure immunitatis ibi: nam remuneranda pericula eorum, quin etiam hortanda præmijs meritò placuit, vt qui peregrè muneribus & quidem publicis cum periculo & labore fungūtur, à domesticis vexationibus & sumtibus liberentur. Unde caput de immunitate quarundā personarū etiam recentioribus imperij constitutionibus repetitū, vt suo loco indi-

indicabitur. v. O. P. Francof. de A. 1577. t. 17. w. in den Kriegsläufern
 gefreyet. Et sane politici hæc & similia præmia & beneficia, tan-
 quã illecebras bonarũ mêtium adeo exigunt, vt sine his nec sal-
 vam fieri nec rectã constitui posse Rempubicã arbitrentur: præ-
 ter loca in c. 1. indicata, illustris est sententia Bocalini cent. 1.

Ragg. 77. p. 346. ibi La riforma tutta del presente seculo, sta posta
 in queste poche parole: premiar i buoni & punire gli scelerati.
 10. Porro Edictũ quod quisq; juris, oppositũ est iniustis petitionib.
 & impetrationib. coërcedis. Wes. in parat. D. quod quisq; iuris. nõ a. be-
 neficijs ex merito & cõdigno indultis, l. 4. C. de adult. l. 8. de prætor.
 stipul. Wes. ib. n. 2. f. l. vlt. Qui satisd. cog. quod si maxime ratio edicti
 generaliter abstrahat; juri tamẽ imunitatis ne sic quidẽ cõtraria
 est, sed favet potius, si cõparata cõstituantur similia nõ disparia:
 Ut n. gregarius civis non vult se onere curarũ publicarum noctu-
 diuq; & simul excubiarũ molestia affici: Ita nõ debet à Magistratu
 desiderare, vt in palatio vel curiatotũ diem desideat, publiceq; sa-
 luti vitam suam impẽdat: Interim vero peregrinorum hospitem
 rapacitati privatũ patrimoniũ exponat. Quid ergo sibi vult tan-
 dem Rubrica illa Codicis, de immunitate nemini cõcedenda, inquires?
 Equidẽ sunt ex Jctis etiam nostris, qui textũ illum generaliter vt
 sonat & absolutẽ exaudiunt, Guliel. Forn. l. 1. selectionum c. 20. quem
 improvide secutus est & in hanc sententiã allegavit Besoldus l. 1.
 polit. c. 4. §. 45. sed quia huic sententiã non tantum in ff. sed & in Co-
 dice integri tituli reclamant; quæ de jure imunitatis legitimẽ im-
 petrato & jure meritoq; cõpetente loquũtur adhibe libri 10. tit. 44.
 45. & seqq. Utiq; alia respõdendi ratio ineunda est: quã nobis sug-
 gerit, l. 1. C. dt. quæ innuit rubricã istã, licet generaliter scriptã, esse
 tamen intelligendã tantum de concessione illegitima. subdola,
 fraudulenta & prohibita, arg. verborũ d. l. 1. fraude, ambitu, & c. Nec
 est quod quis instet, in consequentia illius textus omnẽ gratiam
 specialium imunitatũ aboleri. Nam & hæc verba restrictive ac-
 cienda esse clarissimẽ patebit, si matricẽ, vt sic dicã & textũ ori-
 ginalem hujus Legis excutere, eumq; cum isto & l. 9. C. de agricolis
 atq; alijs, cõponere atq; cõparare non fuerimus pigri. Solebant
 quippe tabularij civitatũ (qui rationes tributorum tractabant, v.
 Cuiac. incõment ad d. l. 1. C. de immunitate) potẽtiores aut amicos sub-
 levare veluti impetratæ aut cõpetentis imunitatis velamẽto: sive
 vt l. 1. C. de censib. 11. 57. dicitur, solebãt per collusionẽ potentiorum.

sarcinam ad inferiores transferre: (quæ lex verbotenus etiã sic legitur in l. 1. C. Theod. d. t. de censib. ex quo titulo ejusq; l. vlt. etiam d. l. 1. C. de immun. nem. cõced. petita est.) Qua de re & Symmachus, l. 9. ep. 10 conqueritur, cū ait: Principilib. & tabularijs liberum esse, alios à dispendio vindicare & alijs debitū munus imponere: adde l. tabulariū 9. C. Th. de annon. & tribut. Hanc itaq; fraudulentā, & sine auctoritate principali concessam immunitatē, principes d. l. & t. t. dānant, atque à Republica penitus cupiunt remotam: Tantum a. abest, vt suæ potestati quidquam hoc ipso præjudicatū velint, vt in d. l. 9. C. de agricol. & censit. disertè hanc limitationem inseruerint: sine aliqua probatione facta, quæ limitatio etiam alibi reperitur, vt puta in l. vn. ibi: nisi id adnotatio nostra concesserit. C. de his qui à principe. 10. 44. Ac textu ita declarato, Tribonianus facilè effugiet reprehensionē Amayæ, in cõment. ad d. l. 1. r. 9. & seqq. & nos haut difficulter immunitatis jura legitimè competentia defendemus: Et textus æqualitatē munerum à civibus exigentes, hac legali exceptione limitabimus, Exēplol. 1. in f. C. de reb. cred. ibi: nisi specialiter lege excipiatur l. 14. C. de contrah. Empt. l. 14. C. de iur. dot. l. 43. de R. I. l. bona fides. 136. de R. I. & l. 1. §. 2. quod iussu. Consimile tēperamentum etiã adhibendū erit textui, quē quis instatiæ loco forsan attulerit, l. 3. C. de munerib. patrim. vbi dicitur: etiã eos, qui immunitatē munerū publicorum consecuti sunt, tamen onera patrimoniorū sustinere debere, in quibus causis munus hospites recipiendi esse. Amaya v. vsq; ad eò metuit, vt illum sine explicatione, in cõmentario ad l. 10. t. 42. transmiserit. Nam vt jã alibi, part. 2. c. 3. §. 2. & 3. cū Cujacio notavimus, loquitur textus ille de immunitate generaliter cõcessa, quæ hanc interpretationē recipit, vt personalia tantū cõplectatur & corporalia; nō a patrimonialia. ab his 10. de Vac. & excus. mun. Cum a. nec personalia illa, quæ singularia sunt & specialē desiderant remissionē expressè ac nominatim factā l. non tantū 17. §. eos 2. & §. seq. de excus. tut. l. legato 12. in fin. de vacat. & excus. mū. l. in honorib. 8. §. 1. eod. Cuiac. d. lo. hac simplicitate & generalitate cõcessionis veniant: longius abest, vt singulares alterius generis imunitates cõtineantur. Itaq; videmus his, qui civilē munerū vacationē haberent; in super immunitatē hanc, ne hospitē reciperent, specialiter à principib. fuisse indultā, vt habēt verba text. in l. vlt. §. vlt. de mun. & hon. & in l. 10. §. 2. ibi recipiēdi hospitis necessitas liberaliū artium professorib. inter cætera remissa, de Vacat. & Excus. mun. & clarior in l. sunt munera xi. d. t. in verbis: hospitis suscipiendi muneris nemo excusationem habet, præter eos quibus principali beneficio concessum est.

X 2615889

VD 17





17031.

18.

1644,6.

17

DE IURE IMMUNITATIS

& imprimis à

GRAVI METATORVM

ONERE ἀπόδοσις

EX VBERIORIBVS ADVERSARIIS, QVORVM
conciinnationem festinationis ratio non tulit,
obiter delibata

ET

SUB PRÆSIDIO

MAGNIFICI AMPLISSIMI, ET CONSULTISSIMI
VIRI

DN. IOHAN-OTTONIS

TABORIS, J.U.D. COD. ET FEUD.

P.P. IURIDICÆ FACULTATIS SENIORIS

& h. t. Universitatis hujus Rectoris, Præceptoris ac
fautoris sui, omni observantia & honore
prosequendi

Publicè habita

AB

OVA BROCKTORE.

EQ. HOLSATO.

In auditorio Majori.

ad diem Mense Mart.

ARGENTINÆ,

Typis IOANNIS PHILIPPI MÜLBII,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

ANNO M DC XLIV.

